



Catalogus dissert.

I. J. Semler.

1. Obss. super 2 Timoth. II. et III.
2. Sessionis VI Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prostantia theof. acroamatica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum presentis.
6. de Christi ad Alagarum epistola.
7. de imagine divina in humana est. natura.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Antiquitatum Hieronymianarum ad Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatus fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Hispaniam inter Germanos ref. christi.
13. de didorimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observando.
14. In Math. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse vultu auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recedenda historia desensus ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Sesnoborov et evangelio Hebraeorum.
22. de didorimine inter Carthagos et Aquevitas.

II. J. A. Neigsetz.

23. Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernenda propria et tropica dictione.
25. de Ceteris patrum graecorum in nouum.
26. in 1. Cor. II. 20 et 27.
27. interp. carthagos anglica Luc. II. 14.
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis christi confirmare sequit maioribus legitatione sinastica.
30. ad Hebr. II. v.
31. in 2. Cor. III. 17.
32. ad Num. XXIII. 17.
33. in Job. VIII. 20-23.
34. de vera vi nominis salomonis dec.
35. In 2. Thessal. II. 1-12.
36. In Job. XI. 1-17.
37. In Job. XII. 13-17. 23.
38. Quibus in No. Regn. mag. N. 31. - 744
78 Quod est 2 Cor. III. 6.

N. 129.
1.

27.

AD DIES FESTOS
MEMORIAE
NATIVITATIS CHRISTI

SACROS
RELIGIOSE AGENDOS

FRIDERICIANAE PRORECTOR
FRIDERICVS CHRISTIANVS IVNCKER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
HVIVSQUE PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS
PAEDAGOGH REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICVS

VNA CVM

DIRECTORE ET SENATV
ACADEMIAE CIVES
INVITAT.

Praemissa est interpretatio cantionis Angelicae, Luc. II, 14.

FORMIS HENDELIANIS.

27

TO THE
MEMBERS
OF THE
DIRECTORATE
OF THE
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF
LEIPZIG
BY
JOHN
GIBSON



Natiuitatis Christi fructum vt acri et attento animo contueamur, etſi ipſa iam officii hominis Chriſtiani ratio poſcat: tamen hoc praefertim tempore diligentiffime vt faciamus, dierum religio admonet; qui nati Chriſti memoriae peculiariter conſecrari in eccleſia ab antiquis inde temporibus ſolent. Eam igitur dierum horum ſolennitatem dum ſcriptione hac indicimus Vobis, Ciues Cariffimi; ſperamus ſane, poſſe Vos ad piam accuratamque tanti, quantum eſt, quod natalis dies τοῦ Σωτῆρος attulit, beneficii conſiderationem allici; ſi carmen illud, dulce proſus et graue, quod caeleſtes Chriſti recens nati ad paſtores in regione Bethlehemitica nuncios ceciniffi olim deo et Chriſto domino, LVC. II, 14 legimus, paullo diligentius interpretemur; atque ſic ratione atque animo non minus, quam corporis oculis luſtrandum Vobis exponamus.

Omittimus vero interpretationes virorum doctorum, quas carmen illud angelicum expertum eſt, varias hic commemorare: vt quarum recenſionem inſtituti ratio non valde deſiderat; breuitas autem noſtra abeſſe ab his paginis plane iubet. Alia eſt varietas, lectionis nimirum, cui diligentiam eo maiorem debemus; quo minus dubitari poteſt, operam interpretationi omnino inanem impendi, niſi de lectionis veritate ſatis ante conſtet.

Apponamus igitur in limine ſtatim diſſertatiunculae noſtrae textum carminis illius Graecum, vti in libris noſtris edi vulgo ſolet. Huic ſubiungamus varietatem lectionis, quae in codicibus ſcriptis, partim in editis etiam, obtinet. In libris editis fere omnibus Δόξα ἐν ὑψιſτοις Θεῷ, legimus, καὶ ἐπὶ γῆς ἐκείνῃ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Varietatem lectionis IO. MILLIUS et IO. IAC. WETSTENIUS annotarunt iſtam. Vocula ἐν ante ἀνθρώποις abeſt a Cod. quem ERASMIUS laudat: neque legitur in edd. ERASMI I. 2. 3. item in ed. Ald. Abeſſe etiam in Lect. Veleſianis, ſcribit MILLIUS. Eas autem Lectiones vt timidius nominemus, facit WETSTENII de illis iudicium, Prolegom. p. 59. Deinde pro εὐδοκία habent εὐδοκίας Codd. Mss. Alex. et Cant. quorum illum litera A, hunc litera D indicare WETSTENIUS maluit; quae nominibus appellare, quibus in laudandis illis MILLIUS vsus erat.

Hanc vero lectionis varietatem spernere IO. MILLIVS videbatur in *notis* ad *Lucae* illum locum. Sed mutavit deinde sententiam vir doctissimus, ubi *Prolegomena* scriberet. Ibi enim §. 675 lectionem Codicum, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, esse omnino veram pronunciauit: addens; „ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας Hebraismus est, et significat homines, erga quos Deus se insigniter beneuolum ostendit, seu quos peculiari quadam gratia complectitur. Hic autem sensus cum latuerit veteres Graecos, factum est, ut in codicibus iam olim εὐδοκίας mutaretur, in εὐδοκία. Ad haec quid DAN. WHITBY in *Examine*? Nihil, praeter hoc, p. 171: „Quis teneat semper mutantem *Protea* vulrum?“, Vocem hominis audimus, in ipso titulo libri sui defensorem se *lectionis textus hodierni* profitentis: non iudicium rei criticae periti. Et quid opus erat, ea, quae in libro ipso praecipitauerat, in *Appendice* libri p. 367 repetere: nulla profus ratione addita, qua lectionem vulgatam contra MILLIVM defenderet? Tamen laudare WHITBYVM, quasi rem strenue gessisset, veritus non est IO. CHRISTO. WOLFIVS in *Curis* ad eum *Lucae* locum.

Ex verbis Graecis, uti in editis leguntur, commodam, vel tolerabilem saltem auribus doctis sententiam exsculpere interpretes haud potuisse, minus quidem miramur. Sed corrupta esse, suspicari eos particula καὶ iubebat, semel tantum posita: unde colligere poterant, orationem duo, non tria membra habere debere. Nam ut vulgo legi in editis solet, membra tria sunt: δόξα Θεῷ ἐν ὑψίστοις ἐπὶ ἡμῶν εὐδοκία. Ea orationis membra duo, quae olim habuit, red-eunt, si εὐδοκίας legas. Deinde si ἐπὶ ἡμῶν εὐδοκία membrum orationis vnum et plenum est; quid necesse erat addere ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: quum εὐδοκία ἐπὶ ἡμῶν non possit pertinere ad alios, nisi ad τοὺς ἀνθρώπους? Atque hac difficultate commoti esse videntur, qui verba, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, quasi ex margine irrepserint, delenda plane esse censerent: VE BEZA fecit, ad *Marc.* IX, 43. Quod, nequid grauius dicamus, facinus nimis audax est. Sed εὐδοκίας habuit etiam in codice suo CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS; qui *Catech.* XII, p. m. 165 citat: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ ἡμῶν εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. Neque erat, quod WETSTENIVS, eum CYRILLI locum allegans, adderet: „sed in MS.

MS. *evidentia*. „ Nam lectionem *evidentia* ex vulgaribus *Euangelii Lucae* exemplis notio- rem in codice illo vno, qui ex indicio THO. MILLES codex est, quem *Tho. Roe* Bibliothecae Bodleianae donauit, substitutam esse lectioni obsoletae et minus notae, immo propter Hebrai- tum difficiliorem, *evidentia*, magis probabile est; quam in codd. *Cy- rilli* reliquis, lectione *evidentia*, quae facilius videbatur, et plurima *Lucae* *Euangelii* exempla occupauerat, delata, repositam esse difficili- orem et minus notam, *evidentia*. Nonnulli in iis, qui *evidentia* legerint, *IRENAEVM* nominant: apud quem III, II p. m. 216: *Gloria in Excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Sed huic quidem testimonio minus tribuimus. Non eam tamen ob rationem, quam affert *WETSTENIUS*, minus firmam sane: sed quod ex versione inter- pretis Latini de verbis *Irenaei* Graecis minus tuto iudicari posse cen- semus. „ Multum vereor, scribit *IO. ERN. GRABE* ad eum *Irenaei* lo- cum, ne – Latinus interpres, vel potius scriba quispiam, Latinae „Vulgatae auctoritate ductus posuerit in Genitiuo, *bonae voluntatis*. „ Non videmus rationem; cur scribae alicui tribuere velimus, quod probabilius ab ipso interprete profectum est. Nam interpretatio Lati- na verus habuit omnino *pax hominibus bonae voluntatis*: vnde inter- pres *Irenaei* sine dubio hausit *). *OPTATVS MILEVITANVS* certe II, 5. p. m. 35, et IV, 4. p. m. 73 citat: *pax hominibus in terra bonae voluntatis*. Et *LEO MAGNVS*, *Serm. I. in Solenn. Natiu. I. C.* p. m. 13. „ Ab exultantibus ergo Angelis nascente Domino gloria in ex- celsis Deo canitur: et pax in terra *bonae voluntatis hominibus* nuncia- tur. „ *IDEM Serm. IX.* p. m. 23 allegat: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Neque aliter *MAXIMVS* in *Homil. Hyemal.* p. m. 320. Atque hanc versionem Latinam ante oculos habuit *IUVENCVS*, qui carmen angelicum versibus Latinis in *Hist. Euang. I.* 173 sic reddidit:

„Gloria supremum comitetur debita Patrem;
„In terris iustos homines pax digna sequatur. „

In

*) Eadem est ratio, quare interpreti *Origenis* haec quidem in causa multum tri- buere nolimus.

In *Codd. Cant.* et *Vn.* quos Cantabrigiae olim euoluit ERICVS BENZELIUS, eius autem collationis exemplum penes nos est, pro comitatur legitur comitatur; in *Cant.* etiam pro sequatur est sequatur. Quas lectiones codicum spernandas non putamus.

Sed in versione Latina illud quoque memorabile est, praepositionis Graecae *en* ante *ανθρωποις* vestigium nullum apparere. Quum vero versio illa antiqua praepositiones Graecas frequenter ibi etiam retineat; vbi lingua Latina praepositionem vix admittit: oritur suspicio, codicem, ad quem facta est, voculam *en* ante *ανθρωποις* non agnouisse: quod idem supra de Codice ab ERASMO laudato, et de ERASMI *edd.* 1. 2. 3. et *ed. Ald.* ex WETSTENIO et MILLIO obseruauimus. Eam praepositionis *en* omissionem WETSTENIUS scribit probasse ANDR. OSIANDRUM: cuius opus, dum haec scribimus, ad manus non est. Et dubitamus omnino, *ειρηνη EN ανθρωποις ευδοκίας* ratione idonea defendi posse. Ipsa autem praepositio *en* inserta esse videtur, vbi *ευδοκίας* mutari in *ευδουκία* coeperat.

Iam igitur si praecedentibus libris antiquis, de quibus diximus, restituamus: *Δόξα εν υψις Θεω, και επι γης ειρηνη ανθρωποις ευδοκίας*: plana erunt omnia; et facilis interpretatio. Contra si lectioni vulgatae insistas; quocumque te veritas, laborem frustra suscipies. Quod ipsum praecudicium grauissimum facit.

Praedicant autem angeli hoc carmine suo fructum natiuitatis Iesu Christi: qui is est, vt deo honos et cultus, hominibus, qui seruatorem agnoscunt et recipiunt, salus reddatur.

Honos deo in excelsis. Frustra ERASMUS: „Angeli canunt *gloriam Deo in altissimis*, vbi nullum erit peccatum, et ob id nulla reconciliatio. „ Neque melius H. GROTIUS, scribens: „Illud *en υψις*, vt alibi diximus, interdum idem est, quod *excellensissime*. Sed hic cum modo locus quoque exprimi videtur, vt opposita sint *en υψις*, et *enπι γης*, quemadmodum in oratione Dominica *en ουρανω και επι γης*. Impletur hic illud Esaiiae 44, 23. et 49, 13. *Quate enclis.* Sunt autem inter veteres et recentiores plures, qui *δοξαν εν υψις Θεω* de angelis

angelis et caelestibus intelligant, laudantibus deum. Quod ab hoc certe loco alienum est: ad quem afferri, nihil debet; quod ad natiuitatem Christi proxime non pertinet. Θεός ἐν ὑψίστοις est ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν, vt habent ὁ ὁ. IES. 57, 15. ad quem locum vid. VITRINGA in *Commentar.* Δόξα Θεοῦ ἐν ὑψίστοις autem est honos et cultus deo a hominibus praestandus. Sic deus apud IESAIAM 42, 8 dicens, „Ego sum Iehoua: „hoc est nomen meum. Gloriam vero meam alteri dare nolo; neque laudem meam idolis;“, significat; sē vnum, exclusis idolis omnibus, honorari et coli velle. Et δόξασεν Θεόν est, *colere deum*. Ita PAVLLVS de gentibus profanis, ad *Rom.* I, 21: Διότι γινόντες τὸν Θεόν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν. *tamquam deum non coluerunt*. Iam vero honos ille et cultus, quem deus ab hominibus iure suo poscit, tribui a peccatoribus ipsi neque solet, neque potest. Ad hoc porro, vt homines, peccato oppressi, a tyranno tam saeuo, qui a cultu dei rapit et abstrahit, liberarentur, assertore opus erat; cuius laudes angeli carmine suo canunt. Ille vnus, qui hodie natus est, efficiet, vt honos deo, in caelis habitanti, et cultus restituatur. Hoc volunt verba: δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ. Parum igitur, vel nihil differunt ab illis PAVLLI, ad *Philipp.* II, II: πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστός εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς. Restituitur autem honos deo et cultus; dum homines πληροῦνται καρπῶν δικαιοσύνης τῶν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεοῦ. *Philipp.* I, II.

De prima carminis angelici parte diximus haecenus. Sequitur, vt exponamus de altera. Interpretamur vero: *in terra autem salus hominibus probatis*. Καὶ ad exemplum praefixi Hebraei 1 valet autem.

Qui lectionem vulgatam, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, defendunt, varie interpretantur: nullus ratione probabili. Sed hoc copiosius disputare locus hic non patitur. THEOD. HACKSPANIVS in *Notis ad b. l.* p. 271 vbi dixerat esse, qui εὐδοκίας legant, & per Hebraismum exponant *hominibus dilectos*; addit; „Et verum quidem est, dari eiusmodi Hebraismos: interim lectio ista nondum probata est.“ Lectio vero, cui suffragantur Codd. Mss.; cuius vestigia reperiuntur in scriptis patrum, & in versione antiqua; quam denique contextus ita requirit, vt absque
ea

ea locus interpretationi commodae non relinquatur; ea vero lectio probatione vltiore egere videri poterit? Dicuntur autem ἀνθρώποι εὐδοκίας, vt οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, Lvc. XVI, 8. κριτὴς τῆς ἀδικίας, Lvc. XVIII, 6. et, quae magis etiam huc pertinent, υἱὸς τῆς ἀγάπης Colass. I, 13. σκεὺς ἐλέους, Rom. IX, 23. ποτήριον εὐλογίας, I Cor. X, 16. σκεὺς ἐκλογῆς Act. IX, 15. Bene igitur MILLIUS, vt supra vidimus, ἀνθρώπους εὐδοκίας interpretatus est, „homines, erga quos deus se infirmiter beneuolum ostendit, seu quos peculiari quadam gratia complectitur.” Sunt nimirum, ἀνθρώποι εὐδοκίας, qui dicuntur εὐάγεροι τῷ Θεῷ, Rom. XIV, 18. ἐλεκτοὶ Θεοῦ, Rom. VIII, 33. ἐλεκτοὶ Θεοῦ, ἄγιοι, καὶ ἡγαπημένοι, Colass. III, 12. Latini probatos, gratos, acceptos, dilectos appellant.

Εἰρήνην salutem verto, non pacem. Est enim Hebraeum שָׁלוֹם. Iacobus quaerens ex pastoribus Labanis de rebus domini sui, Gen. XXIX, 6: לוֹ שָׁלוֹם, Latine: *satisne saluae res ipsi?* Illi vero respondebant: שָׁלוֹם, *saluae sunt.* Salutatio Hebraeorum: לְךָ שָׁלוֹם. Latini: *salutem tibi dico.* Etiam οἱ ὅ. Hebraeum שָׁלוֹם Graece vertunt interdum σωτηρίαν, vt Gen. XXVIII, 21. XLIV, 17. Sed scriptores N. T. εἰρήνην dicere fere malunt. Vt PAVLLVS solet in saluationibus, quibus epistolae orditur: & Gal. VI, 16: καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ σοιγήσουσιν εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἔλεος. Iungit εἰρήνην & ἔλεος; quia salus nostra a misericordia diuina proficiscitur. Iam vero quum omnis salutis nostrae auctor Christus sit, Act. IV, 12: nemo autem per Christum esse saluus possit, nisi sit ἀνθρώπος εὐδοκίας, *homo deo probatus*, siue qui deo per fidem in Christum acceptus esse studeat; vnde PAVLLVS ad Rom. VIII, 6. affirmat, τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος coniunctum esse cum ζωῇ, & εἰρήνη: apparebit facile, carmen illud angelorum, dum εἰρήνην canit ἐπὶ γῆς ἀνθρώποις εὐδοκίας, laudes pueri recens nati, Christi domini, celebrare; qui sit fons salutis omnibus, qui per ipsum fieri deo accepti velint.

Vnum superest, quod non putamus praetereundum plane esse. Videmus interpretes multos oppositionem, ἐν ὑψίστοις, & ἐπὶ γῆς, nimis vrgere. Inde fit, vt *angelos & homines* opponi inter se, iis verbis opinentur: δόξαν Θεοῦ ἐν ὑψίστοις ad *angelos* pertinere, εἰρήνην ἐπὶ γῆς
et

et *εὐδοκῶν* ad *homines*. Nimirum qui eam interpretandi rationem sequuntur, non cogitant, ad Hebraeorum morem ista efferi: qui talia saepe addere in oratione solent; quae Graecorum, Latinorum, Germanorum linguae plane ignorant. Sic I Regg. VIII, 32. 34. 36. *Et tu, deus, exaudies in caelis.* Ps. XX, 7. *Exaudiet eum, deus, de caelis suis sanctis.* Ps. LIII, 3. LXXX, 15. CII, 20. *deus res humanas respicere de caelo dicitur.* Et Ps. XCIII, 4. *potens* בְּיָמֵינוּ vbi *ci ó. ó Θανμασός ἐν ὑψηλοῖς.* Nisi ibi malis interpretari, *summe potens.* Sed *δόξα ἐν τοῖς ὑψίστοις* occurrit apud IVC XIX; 38. apud MATTH. XXI, 9. *Ωσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.* Nimirum eius generis loquendi formae apud Hebraeos descriptioni maiestatis diuinæ inferuiunt. Job. XXII, 12. אֱמַשְׁתָּ בְּהַר הַלְלוּ, *ó ó. ó τὸ ὑψηλὸν υἱοῦ.* Ad illa vero ἐπὶ γῆς quod attinet, haec etiam lingua Graeca vix admittit, tali quidem in oratione. Sed addita sunt iidem ex consuetudine sermonis Hebraei. Ita Gen. IX, 17. 18. כָּל־בְּשָׂר׃ אֲשֶׁר עִלְיָיִם, *ó ó. interpretati sunt πάντα σώματα, ἢ ἐστὶν ἐπὶ τῆς γῆς.* Graece si voluissent vertere; dicere brevius debuissent *πάντας ἀνθρώπους.*

Licebit nobis iam affirmare, argumentum cantionis angelicae, quam interpretari haecenus conati sumus, esse fructum natiuitatis Iesu Christi. *Nunc*, nato nimirum seruatore, qui est Christus dominus, canunt angeli illi, *deo honos*, siue cultus, *redditur, hominibus autem deo probatis salus.* Breuis admodum est cantio. Sed ea breuitas non potuit videri pastoribus, qui audiebant, obscuritatem & tenebras habere. Illi enim paullo ante ex ore angeli nuncium acceperant, qui ipsis contractam & breuem cantionis orationem dilatare atque explicare poterat. *En, ego, dixerat angelus, laetissimum vobis nuncium affero, qui ad populum omnem pertinet. Vobis nimirum seruator natus est hodie in oppido Davidis. Is est Christus, Messias, dominus.* Hunc nuncium excipiebat statim cantio angelorum, de qua adhuc diximus. Non poterant igitur pastores aliter iudicare; quam pertinere cantionem illam ad praedicationem beneficii ingentis, per Messiam natum in populum omnem collati. Facilis erat interpretatio. Christus dominus,
sue

sive Messias, natus hodie est: ergo cultus deo sanctissimus, dignissimusque numine eius restituatur nunc per Messiam hunc; hominibus autem, qui placere deo student, salus.

Redimus ad id, a quo dicendi initium faciebamus, Cives Dilectissimi: posse Vos pia carminis, quod angeli Christo recens nato cecinerunt, consideratione eam in partem moueri; ut non solum beneficii, quod ex natiuitate eius ad nos ex consilio dei redire debet, magnitudinem agnoscat; sed ipsius beneficii huius magis magisque fruendi cupiditate incitemini. Recto dei cultu omnis nostra felicitas continetur. Iam vero rectum dei cultum magistro non alio discimus; quam eo, cuius diem natalem his feriis celebramus. Hoc Vos angeli docent, dei cultum & honorem per Christum restitutum canentes: & ipse Christus confirmat, *Mattb. XI, 27.* denuncians; neminem nosse patrem, nisi filium; & cui voluerit filius patefacere. Ille autem patefecit apostolis suis: & nobis, qui accipere testimonium volumus, per apostolos. Hos, quos dictorum factorumque testes sibi elegerat, si audiamus loquentes in scriptis suis; reddemur ἀνθρώποι εὐδοκίας, deo grati atque accepti; quibus angeli cautione sua salutem praedicunt: εἰς τὴν ἀνθρώποις εὐδοκίαν. Hoc idem Christus ipse testatur, apud *Ioannem III, 16* affirmans; deum nasci fecisse filium suum dilectum; ut quicumque ipsi crederet, non periret, sed aeternum beatus esset. Christo autem, filio dei dilecto, credere qui vult, fidem habere euangelio debet, quod apostolorum scriptis continetur. Huic porro fidem si toto animo adhibeamus; re ipsa id declarabimus, virtutis studio: quod vti, ex fide in Christum oritur; ita iunctum sibi haberet amorem dei et Christi tenerrimum; reuerentiam aduersus deum maximam; fiduciam diuini praesidii summam; animum legibus diuinis obedientem ingenue; modestiae, continentiae, temperantiae deditum; clementiae, mansuetudinis, humanitatis studiosum; ad officia quaeuis praestanda hominibus aliis paratissimum. His autem virtutibus instructo homini, et per eas deo accepto, quid tandem deesse ad vitam beatam putabimus? Illius

lius vero beatitudo non hac vita terminatur: sed, deo ipso spon-
fore, aeterna atque immortalis est.

Tantae igitur salutis auctor quum Christus iis sit, qui in
ipsum credunt: agite, Ciues Carissimi, quantum ad depellendam
a nobis, in quam peccatum nos coniecit omnes, miseriam natiuitas
Christi momentum habeat, considerate diligentissime. Considerate
sic; vt desiderium salutis, per Christum paratae, excitari Vobis pa-
tiamini. Nolite autem obliuisci, salutem eam esse eorum tantum,
qui fide in Christum placere deo studeant. In his cogitationibus
si per dies hos animum defixum habeatis; fructum ex natiuitate
Christi longe maximum, et immortalem capietis. P. P. d. xxiv
m. Decembr. a. Chr. n. clo lccc lxiix.



11

Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700
Das Jahr bestimmt man hier zu rathen: 26) des Joh. 1700



Fe 4194

ULB Halle

002 623 889

3




SB

Rehov







27.

AD DIES FESTOS
MEMORIAE
NATIVITATIS CHRISTI

SACROS
RELIGIOSE AGENDOS

FRIDERICIANAE PRORECTOR
FRIDERICVS CHRISTIANVS IVNCKER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
HVIVSQUE PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICVS

VNA CVM

DIRECTORE ET SENATV
ACADEMIAE CIVIS
INVITAT.

Praemissa est interpretatio cantionis Angelicae, Luc. II, 14.

FORMIS HENDELIANIS.

